Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus de decem praeceptis - Cod. Aug. pap. 51

Henricus <de Frimaria>

[Reichenau], [14. Jahrh.]

Septimum praeceptum

urn:nbn:de:bsz:31-87058

Visual Library

rantur et fornicatio carnalis semel
facta sufficit ad divorcium nisi alter
coniugum similiter fuerit fornicatus
Spiritualis autem non sufficit absolute
nisi coniunx perseveret in heresi Ex
decisione cuius in textu et in glosa
Tercio modo dicitur fornicatio com-
munissime scilicet quodlibet peccatum mor-
tale et tunc distingue quia aut peccatum
unius coniugis est scandalum alterius
ut si nititur alium trahere ad mortale
et sic talis potest dimitti ad tempus quo-
usque videlicet corrigatur aut peccatum
unius non est scandalum alterius nec
eum nititur trahere ad mortale et sic
non potest eum dimittere Hec est summa ba-
Roy et Will(elmi) Ut autem sciatur quando quis peccat
si dimissam recipit et quando non Sciendum
est quod crimen coniugis aut est occultum
et sic non potest eam dimittere cum non
possit probare crimen impositum Aut est
manifestum et tunc distingue aut
cum adultera perseverat in malicia
et sic tenetur eam dimittere Nam
qui talem retinet vel qui dimissam
recipit peccat mortaliter quia sic videtur
crimini consentire Unde legitur xxxii
q. i c. i Sicut crudelis est et iniquus
qui castam dimittit sic fatuus est
et iniustus qui retinet meretricem
patronus enim turpitudinis est qui
celat crimen uxoris Aut non perse-
verat sed est spes de correctione vel
est correcta et sic non tenetur eam dimit-
tere immo ipse potest recipere seu re-
cipere Unde illud quod Christus dicit Et qui
dimissam ducit adulterat solum
intelligitur de illa recepcione

quando non est correcta sed perseverat in mali-
cia aut est quando impedimentum inter-
venit vel consanguinitatis vel huius-
modi Ex premissis patere potest qualiter
de transgressione istius precepti sit
alicui confitendum

Nota septimum preceptum quod
narrat de furto et ceteris alienis

Septimum preceptum est Non
furtum facies Ubi secundum August(inum)
prohibetur omnis contrectacio
rei aliene pertinens ex cupidi-
tate vel iniuria quod ideo dico quia
contrectacio rei aliene potest
licite fieri tribus modis primo quando — *Quod contrectacio rei aliene potest fieri tribus modis*
fit non ex cupiditate sed ex obediencia
sicut fecerunt filii Israel auferendo
vasa egipciorum Secundo quando fit ex
cautela ut si aliquis furetur
gladium furiosi ne sibi vel aliis
noceat Tercio quando fit ex necessitate
mera ut cum quis ad mortem esuri-
ens panem furatur quia in necessitate
extrema omnia sunt communia
Et hoc preceptum tripliciter exponitur
per nocumentum quod quis iniuri-
ose proximo infert in bonis suis
tripliciter variatur Nam illud nocu-
mentum vel infertur superioribus
vel inferioribus vel equalibus
et secundum hoc prima exposicio est
Non furtum facies tuis superiori- — *prima expo(sicio)*
bus et sic contra istud preceptum
peccant sex genera hominum
primi sunt qui suum plebanum
defraudant in oblacionibus et
decimis sibi debite [?] debitis Ubi
notandum quod integre dandas decimas

a deo dupliciter privantur primo primum
est bonorum temporalium augmentacio
Secundum est sanitatis anime et corporis
assecucio Et ista duo audenter con-
gruunt xvi q i ubi dicitur Quod si de-
cimam dederis non solum habundanci-
am fructuum recipies sed et sani-
tatem corporis et anime consequeris
Sed contra ipsas decimas non
solventes tripliciter peccant primo
quia deum offendunt ideo scribitur xvi
q i hec enim est dei consuetudo ut
si illi decimam non dederis tu ad
decimam revoceris Secundo quia res
alienas invadunt nam decime
tributa sunt egencium animarum
ut scribitur ibidem Tercio quia ex mor-
te pauperum homicidium incurrunt
quia quanti pauperes in locis illis
ubi ipse habitat illo non dante
decimas fame mortui fuerint
tantorum homicidiorum reus ante
tribunal eterni iudicis apparebit
ut scribitur ibidem Secundi sunt qui censum
debitum furtive subtrahunt suis dominis
Tercii sunt qui bona feodalia racione
propria detinent vel qui feodum alicuius
in aliud dominium transferunt vel qui
ipsum sine sciencia et voluntate veri domini
diminuunt Quarti sunt servi et
ancille qui res dominorum furtive consu-
munt vel de rebus dominorum ipsis
in vitiis aliis faciunt Tales
enim propter piam intencionem a peccato
mortali non excusantur Quinti
sunt uxores que res virorum
furtive subtrahunt ut de ipsis
contra voluntatem maritorum
elemosinas faciant quod fieri non debet Un-
de scribitur xxx q iij Nichil de tua
veste vel auro vel argento vel qua-
cumque peccunia vel in rebus tuis
invito marito facere debuisti Fal-
lit tamen hoc in triplici casu primo si
uxor tua fuerit lucrativa Secundo
si habuerit bona parafernalia
dotalibus non bonis sicut et de rebus
lucrosis mulieres possunt facere elemosinas
sine licencia maritorum Tercio si
faciant elemosinam de rebus sue dispensa-
cioni commissis puta de pane et vino
et huiusmodi et maxime quando ma-
ritus esset nimis durus in actibus
pietatis Tunc enim mulier de rebus
sue dispensacioni traditis expectante
potest facere elemosinam pro salute viri
dum tamen illa sit moderata quod egestate
coniugibus non inducant Sexti sunt qui
theolonia et vectigalia dominis fraudu-
lenter subtrahunt qui omnes
tenentur ad restitucionem dum tamen
tres condiciones habeant huiusmodi
vectigalia primo quod imponantur
auctoritate principis Secundo quod subsit cau-
sa racionabilis propter quam sint imposita
sicut pro pace facienda vel pro via
publica reparanda Tercio si sint
moderata quia sic tollerantur Ex
de verbis significacione Super quibus dicta Ubi
dicitur illa pedagia guidagia et
salmaria scias esse interdicta
que non sunt imperatorum vel regum
vel Lateranensis concilii largicione con-
cessa vel ex antiqua consuetudine
cuius non extat memoria introducta

Glo autem ibidem exponens predicta vo
cabula dicit Quod pedagia dantur
a transeuntibus Guidagia dantur
pro ducatu Salmaria pro sale Nec con
predicta danda sunt nisi cum negociacio
nis causa aliquid portatur. De decimis
gabulis Universi hoc idem et post
Unde ad predictorum euidenciam est
notandum quod quilibet tenetur soluere
decimas nisi se probet exemptum et
nisi habeat illas in feodo ex antiquo
extra de decimis Quia nobis Cum
quidam astringunt ex hoc quod decime
sunt de iure naturali Sed hugo de sancto
victore dicit Quod non sunt de iure
naturali sed de iure diuino quod probat quia
iacob votum emisit de dandis decimis
votum autem non est de eo ad quod quis
tenetur de iure naturali preterea greci
non soluunt decimas nec paulus qui
ordinauit eorum ecclesias precepit eis
soluere decimas quod tamen fecisset Sed dicendum
quod preceptum de solucione decimarum partim
erat morale quod inditum racione naturali
partim autem iudiciale ex diuina institu
cione robur habens Nam racio natura
lis dictat ut hiis qui pro salute tocius
populi diuino cultui ministrabant
ipse populus necessaria ministraret Decima
cio autem certe partis ut quod decima
pars vel decima decimetur introduc
ta est ex institucione diuina quod dominus
mandauit decimam prouentuum dari
sacerdotibus et leuitis ut honorabilius
viuerent et inquiete mentis deo
deseruirent et sic erat iudiciale
quod pertinebat ad equalitatem inter
homines ad inuicem conseruandam
Mutacio autem decimacio decime partis sol
uenda est auctoritate ecclesie que hoc in
stituit pro tempore quandam humanitatem
ut scilicet non minus populus noue legis
ministris noui testamenti exhibeat
quam populus veteris legis ministris
veteris testamenti exhibebat presertim
cum ministri noui testamenti sint
maioris dignitatis quam veteris
et populus noue legis ad maiora obli
getur secundum illud mathei v Nisi habun
dauerit iusticia vestra plus quam scribarum
et phariseorum non intrabitis in regnum
celorum Sic ergo patet quod ad solucio
nem decimarum homines tenentur
partim ex iure naturali partim ex institucione
ecclesie licet in quibusdam terris
loco decimarum dentur alii census
vel alique decimaciones minute
Secundum expositum est Non furtum facies
id est nullum nocumentum inferioribus
te in iure inferas Et sic est hoc
preceptum peccant iiii genera hominum
Primi sunt raptores qui alienum ra
piunt Et illo peccato participant iiii
genera hominum Non solum enim
raptores sunt qui rapiunt sed etiam
qui percipiunt et qui consulunt
et qui eos scienter hospicio re
cipiunt et qui rapta emunt
De quibus infra plenius dicetur Agen
tes enim et consencientes pari
pena plectendi sunt Secundi sunt
inuentores rerum quod qui rem in
ventam non restituit raptor iudi
catur per illud legitur xiiii q v c i
Si quid inuenisti et non restitui
sti rapuisti Sed de inuencione

est distinguendum aut enim quis in
venit thesaurum in loco sacro vel re
ligioso aut non sacro. Si in sacro lo
co aut hoc est casu fortuito et sic
thesaurus est inventoris aut quia
studiose quesivit et sic thesaurus
est ecclesie. Si in loco non sacro hoc
erit dupliciter quia aut invenit in loco
proprio aut alieno. Si in loco proprio
aut invenit ipsum arte magica
et sic thesaurus est fisci. Fiscus
est bursa regis unde fiscarii dicuntur
regis bursatores. Aut sine arte
magica et sic est inventoris. Si
autem invenit ipsum in loco alieno
aut hoc erit casu fortuito aut
actu studioso. Si primo modo sic the
saurus est medius inventoris et
medius domini loci ff. de rerum divisione
thesaurus [illegible] C. de thesauris lib. xi. Nemo
prorsus noverit [illegible]. Ad hoc
nota quod ille qui rem alienam invenit
evitat penam furti debet publice
pronunciare quod ille cuius res sit
veniat et si certa indicia expresse
rit sibi reddatur. Tercio sunt qui
pro talias et indebitas exactiones
a subditis bona extorquent. Ad
cuius evidenciam est sciendum
quod censum illud qui ab inicio fuit
rei impositum sine dolo et fraude
integraliter dari debet. Et si
quis de hoc subtraxerint peccat
mortaliter. Sed hic distinguen
dum est quia aut est certum quod talis
census seu onus ab inicio rei
fuit impositum vel non. Si sit cer
tum quodcumque sit onus sive census

tollerari et dari debet quia unusquisque pro
re sua potest onus imponere. Si autem
census non sit certus vel quod si sit certus
nescitur tamen utrum bene vel illicite fuit
institutus sic peccant recipientes
quia mala fide recipiunt et tenentur
restituere ut patet per [illegible] et glossa
Ex de censibus. Census cum non invenitur
tempore nisi probetur eum per [illegible] quando legi
time fuerit institutus ut dicit glossa
ibidem. Innocencius tamen dicit quod licet
ignoretur causa census sed tamen certum
sit ipsum ab antiquo debere solvi
reddi debet. Ex de censibus. Item
Sciendum tamen quod licet ultra debitum
censum nullus dominus possit extorquere
a subditis sine peccato exclusis tamen
venerabilibus potest petere moderatum
subsidium dummodo hoc petat sine
minis vel concussione directa vel in
directa. Indirecte autem dominus cogit
subditos ut quando eis iusticiam denegat
vel insinuat eis facit quod velit ab
eis tamen hic et in tali casu cum peccato
recipit et restituere tenetur nisi
ille a quo recipit esset servus.
Cum tamen illa res sit domini sicut et
ipse servus non tenetur ad restitucionem
quamvis licet dominus peccet si nimis gra
vet servos suos. Primus casus
in quo ultra censum debitum licet
domino petere moderatum subsidium
est pro defensione patrie puta cum patria
iniuste ab hostibus invaditur. Tunc
enim subditi non solum tenentur res
suas impendere sed et tenentur ad hoc
corporaliter laborare. Secundus est
si sit captus iniusto bello. Tercius

est si iussu principis et ipse deberet
ire contra hereticos vel paganos
Queritur si debet filium militare aut
filiam desponsare in omnibus hiis et
similibus potest licite petere a subdi
tis subsidium moderatum Sed si dominus
volt ludere ad aleas vel in aliis
vanitatibus expendere utrum vices
propter tales casus non licet aliquid
exigere a subditis et si exigerit
tenetur restituere secundum willhelmum extra
de consuetudine in fine Queritur sunt
qui propter debita dominorum ipsorum
cives et subditos indebite impigno
rant quod est rapina contra deum quia res
pauperum indebite impignorant di
missis rebus principalium debitorum
Queritur sunt qui mercedem aliorum
iniuriose detinent et conservant
ubi sciendum quod iniuriose detinentes
mercedem alienam tripliciter peccant
et triplex malum incurrunt primum
est quod iram dei quam se gravissime
incurrunt et provocant quia peccatum
quod illud est unum quod clamat et in
auribus dei clamorem divine ulcionis
iugiter expostulantibus Dicitur enim
peccatum clamare quia sua enormitate
deum provocat ad vindictam et talia
peccata sunt quatuor scilicet oppressio vi
due fratricidium detentio mercedis
pauperum iniusta et vicium contra naturam
Secundum est quod tales sibi ipsis influx
um divine pietatis obstruunt
quia peccatum probi Qui obturat aurem
suam ad clamorem pauperis ipse clama
bit et non exaudietur Tercium

est quod omne semen divine gracie
arefacit in anima et desiccat
Quod patet ex hoc Quum semen
divinum in cordibus talium cadit super petram
peccatum quod est cor durum et aridum
et ab omni amore et humore
gracie desiccatum Et ideo tale semen
oportet inarescere cum nullo humore
pietatis et gracie valeat humec
tari Tercium expositum est tales
Non sunt ut fures scilicet ipsis aequalibus
in rebus suis nocumentum aliquid
inferendo et sic contra istud pre
ceptum peccant nove genera
hominum primi sunt usurarii
et tales vel sunt publici vel privati
Item publici usurarii plectuntur
a iure quadruplici pena prima
est sua excommunicacionis Secunda
privacio communionis Tercia exclusio
oblacionis Quarta privacio sepul
ture quia non debet in cimiterio
sepeliri et qui contra fecerit manet
suspensus ab officio donec ad arbi
trium episcopi satisfecerit extra de usuris
Quia in omnibus Qui autem sunt
usurarii privati sic contra hoc
preceptum iterum peccant quatuor
genera hominum primi sunt qui
prestant cum comodacione et pacto
plus recipiendi et isti sunt usura
rii expresse et secundum iudicium ecclesie
Secundi qui prestant sine aliquo pacto
eo tamen animo quod aliquid ultra
sortem recipiant alias non mutu
arent et isti sunt usurarii quo
ad deum propter intencionem cor
ruptam qua dehonestatur salus

tor. Luce vi. Mutuum dantes nich
il inde sperantes. Sed hic racionabiliter
incidit duplex dubium. Primum est cum
lex divina prohibeat et puniat tam
manum quam animum quare lex
humana solum prohibet ipsam manum
et punit solum actum non autem
animum. Secundum est cum lex divina pro
hibeat omnem inequalitatem quare
lex humana solum prohibet illam
que est magna et notabilis quia
prohibet aliquem decipere ultra medi
um iusti precii. Ad primum dicendum quod
lex humana est quedam regula et
mensura humanorum actuum. Men
sura autem debet esse homogenea
mensurato ut scribitur x Ethicorum.
Unde oportet quod lex humana confor
metur condicionibus hominum quibus
datur. Constat autem quod lex humana
datur multitudini hominum in qua
magna pars deficit a perfectione vir
tutis. Et ideo lex humana prohibet non
omnia vicia sicut lex divina que
solum datur perfectis et virtuosis sed solum
prohibet graviora a quibus est possi
bile maiorem partem multitudinis ab
stinere et precipue illa que sunt
in nocumentum aliorum sine quorum
prohibicione non posset humana soci
etas conservari. Sicut est prohibicio
furti homicidii et huiusmodi et hoc ra
cionabiliter contingit. Nam lex humana
gradatim et non subito inducit
homines ad virtutem. Et ideo non imponit
multitudini imperfectorum ut ab omnibus
malis abstineant alioquin imper
fecti huiusmodi precepta ferre non
valentes in mala deteriora la
berentur. Quod satis innuit Christus
Mathei 9 cum dicit. Quod si vinum

novum id est precepta perfecte vite mittatur
in utres veteres id est in homines imperfectos
utres corrumpuntur et vinum effunditur
id est precepta contempnuntur et homines ex
contemptu ad maiora mala prorumpunt.
Ad secundum dicendum quod lex quelibet con
formatur suo fini. Lex autem divina
habet pro fine beneplacitum divine vo
luntatis. Humana vero lex habet pro fine
communicacionis sufficienciam. Et
ideo quamvis parvam inequalitatem
permittit hominibus imperfectis que non mul
tum ab equalitate iusticie excedit
et que convictum humane societa
tis non multum impedit. Lex autem
divina quod solum intendit rectitudinem
virtutis ideo punit et prohibet omne
id quod contrariatur rectitudini iusticie.
Secundum [illegible] dicit quod lex humana ut
visum est datur populo communi in quo multi
sunt deficientes a perfectione virtutis.
Et ideo non prohibet omnem inequalitatem
in contractibus humanis. Lex autem
datur tantum virtuosis et perfectis. Et ideo
prohibet omne illud quod est virtuti con
trarium. Tercii sunt qui mutuant
res suas ad certum terminum quo ve
niente nolunt prestare ulteriorem
dilacionem donec aliquod emolimentum
percipiant licet expresse nichil petant.
Quarti sunt qui vendunt res suas lon
ge carius propter dilacionem solucio
nis quam eis incontinenti solverent.
Hoc patet extra de usuris Consuluit.
Si enim venditor statuit in corde suo
pro quanto velit rem suam dare non
potest sine peccato propter dilacionem precium
augmentare. Sed si peccuniam paratam
indigeat potest quidem pro parato diminuere
sed non potest pro dilato augmentare.

ut patet Extra de empcione et vendicione
Cum dilecti et c. penultimo Est enim regula
generalis quod quicquid accedit ad capitale
usura est ut patet xiiij q. iij. plerique
hoc tamen fallit in certis casibus quos
notavit Gaufridus et hostiensis quos hic
enumerare non oportet Notandum tamen
est quod ecclesia tamen detestatur usurarum
voraginem quod eam restringit omni quo
potuit Unde patet tamen quod publicum
usurarium quadruplici pena percellit
tamen est quod circa usurarum solucionem mul
tiplex remedium adhibuit quod
patet quia si aliquis promisisset usuras
solvere non debet cogi ad solvendum quod
usure sunt indebite Extra de usuris
debitores Si autem aliquis iuravit
eas solvere sic habet duo remedia
secundum iura primum est quod faciat cogi
creditorem quod relaxet iuramentum
vel quod desistat ab accione ff. de iure
iur. c. et c. tua nos Secundum est quod
post solucionem potest eas repetere
Si autem iuravit solvere et non repe
tere tunc iterum habet duo remedia
primum est quod potest iudici denunciare
et iudex ex officio suo potest illum cogere
ad restituendum Secundum est quod potest
illum cogere ad relaxandum iura
mentum Extra de iureiurando ad nostram
Si autem iuravit solvere et cum hoc
non repetere nec denunciare sic
est illicitum iuramentum nec obligat
ad servandum Extra de cognicione
spirituali ex nobis Secundi sunt sacrilegi
qui rem sacram furantur seu auferunt
de loco sacro seu non sacro
ut patet xvij q. iiij. Quisquis Et
tale furtum proprie dicitur sacrilegium
Quod eciam committit cum quis facit
iniuriam clericis vel personis ecclesia
sticis eos verberando vel res ipso
rum auferendo Tales enim sacrilegi
sunt excommunicati ipso facto et privilegii
clericorum percepcione ut patet xvij q.
iiij. Tercii sunt qui nocumentum
inferunt reipublice puta mone
tas falsificando in pondere vel va
lore vel eciam ex accione diminuere
presolvendo vel argentum semiplene
reputando et generaliter omnes qui
in variis mercimoniis pondera et
mensuras falsificant dicuntur fures
reipublice ff. de [illegible] empcione
l. et tales fures exurunt in aqua
bullienti ff. de falsariis monetarum
l. ij. Nec talis moneta [illegible] liberat
solventem ff. de pignoraticia l. creditor
Et illud [illegible] proverb.
pondus et pondus mensuram et men
suram utrumque abhominabile est apud
deum Quarti sunt qui vendunt vene
num mortiferum vel gladios toxicatos
sive cultellos falsos qui eciam dicuntur
fures reipublice et tales sunt rei
omnium scelerum que perpetrantes per
petrant occasione illorum rerum
ut patet xi q. iij. precipue Et hoc
potissime tenendum est quod talia ven
duntur intencione perversa et de illis
rebus que non possunt esse utiles
ad humanum usum ut venena mor
tifera et similia Que vero autem res
ad humanum debitum usum venire
possunt puta balliste et arma in
iusto bello talia licite vendi possunt
quis tamen vendi non debent ei de quo
probabiliter posset cognosci quod talibus
vellet abuti Quinti sunt qui plu
ra beneficia curata simul tenent

vel nō se faciunt statuto tempore
ad ordines promoveri. Tales enim dicun-
tur fures vel publice nō solum quia furantur
et male sibi usurpant bona illa que
sunt pro bono animarum fidelium deputata. Verum
etiam quia deo furantur animas fidelium quia eos
decipiunt et in absolucionibus et sacra-
mentalibus deludunt. quod verum est si sint
per proprium moniti ut talibus beneficiis cedant
vel si sint per proprium puniti. Sed quamdiu ta-
les per proprium paciuntur tunc subditi pro pro-
missarum dispendium nō incurrunt
hec probantur extra de elect. c. Cum
in cunctis. 2 c. dudum 2 extra de prebendis
c. de multa. Sexti sunt qui furantur
pecora hominum quod furtum proprie dicitur
pecorum abigeatus vel etiam qui scienter
pecora morbosa vendunt. De quo
nota quia nō tantum ille qui furatur pecora
sed et qui scienter vendit pecora
morbosa dicitur fur et tenetur admi-
ter esse intra rem et extra rem.
Quod ut plenius intelligatur sciendum
quod illud dicitur esse intra rem ut si ipsum
animal perit. Sed extra rem ut si alia
pecora pereunt ex contagione mor-
bosi ut notat azo et hostiensis. Si
autem morbosum pecus quis vendit
ignoranter tunc tenetur emptori quanto
minoris empturus erat. ff. de ele-
cione empti. Julianus. Venditor enim
cuiuslibet animalis debet prestare
animal sanum potens comedere et
bibere. C. de empti et vendi. l. Emp-
tor. Septimi sunt artifices qui opera
sua fraudulenter faciunt vel qui
in diversis mercimoniis homines
decipiunt malum pro bono vendentes
contra quos propheta invehitur dicens
Ve qui dicitis malum bonum et bonum
malum. Tales raro dormiunt nisi
dominum sepcies in die proximum de-
ceperint de quibus apte scribitur Job panem
impietatis comedunt et sompnus
nō capitur ab eis nisi supplantave-
rint. Octavi sunt qui mala fide faciunt
hominem incurrere dampnum sicut qui
incitant alios ad ludum alee et huius-
modi. Cuius evidenciam tria sunt per ordinem
declaranda. Primum est quantum peccatum
sit ludus alearum et taxillorum. Secundum
est quid sit iuris de eo quod perditur in alea
puta quis et quibus personis sit reddenda
pecunia que in ludo perditur et que nō
et quis nō. Tercium est qualiter et quando
tales ludi possunt esse liciti et fieri sine
peccato mortali. Propter primum est sciendum
quod quantitas peccati in talibus ludis
potest cognosci ex novem circumstanciis
quarum quelibet est peccatum mortale
quas enumerat hostiensis de ludo
alee. c. i. Prima est desiderium lucran-
di. Ecce cupiditas que est radix
omnium malorum ut dicit apostolus i. Thi.
v. Secunda est voluntas spoliandi
proximum. Ecce rapina. Tercia est
usura maxima que attenditur non
solum in manu vel in mente sed in
eadem die. xlvii di. de excessibus prelato-
rum interdicitur. Quarta est mul-
tiplicata mendacia et verba vana
et ociosa que in talibus ludis fre-
quenter contingunt. Quinta
est execrabilis iuracio et blasphemie
que in talibus ludis frequenter in deum
et in sanctos refunduntur. Ecce heresis.
Sexta est corrupcio multiplex
proximorum qui ad ludum respiciendum
de consuetudine mala conveniunt.
Septima est scandalum bonorum
quia ex predictis condicionibus nefandis

incurrit. Octaua est contemptus prohibi
onis sancte matris ecclesie. Nam glosa dicit
quod huiusmodi ludi sunt prohibiti non tamen distincti.
Nona odicio est et amissio temporis et
omnium bonorum que illo tempore quis
facere potuisset. Propter secundum est
sciendum quod secundum leges id quod perditur in alea
solui non debet et si solutum fuerit
repeti potest usque ad l annos. C. de
usu alee. ludus. Sed hoc intelligit
raymundus et Gwillelmus de eo qui non
ludit voluntarie sed adtractus. Si
enim ludit voluntarie tunc illud quod
perdidit non potest repetere sed secundum predictas
debet pauperibus erogari. Quod autem
dicit Bernardus in glosa quod hoc debet resti
tui potest intelligi de eo qui non lusit
voluntarie sed attractus. Quod autem
quare nullus retinere potest quod in ludo
acquirit hec est causa. Quia ludi alee et
taxillorum prohibiti sunt per leges et
iura scripta. Et ideo in talibus rebus
acquisitis deficit bonus titulus
et bona fides et iusta causa ex quibus
innascitur homini licita possessio rei.
Propter tercium est sciendum quod ludus
alee dicitur omnis ludus qui vertitur
fortune et ad hoc quod aliquis sit licitus
primo requiritur congruitas persone.
Clericis enim in alea ludere non licet
quod publicus aleator repellitur a digni
tate non obstante consuetudine. Extra
de excessibus prelatorum. Inter dilectos
et talis de iure deponi potest si
se non correxerit. xxiiii. q. iii. Si
quis. Secundo requiritur congruitas
materie unde pestulento et pocu
lento ludi potest. Tercio requiritur
congruitas mensure. Unde ultra
unum solidum ludi non potest. Et si quis
illum verberauerit in cuius hospicio
lusum est in alea pro aliquo magno
vel si aliquid sibi dolo subtractum
fuerit iudicium ei non datur. Et hoc
intellige ut dicit azo de illo qui
consueuit lusores alee recipere
causa sui emolimenti. Secus si
aliter apud aliquem incidenter
ludatur. Quarto requiritur congrui
tas temporis ut quod non ludatur tempore
luctus vel penitencie vel quadragesime.
Quinto requiritur quod non faciat
contra legem ludi ut quod non male
computet nec alium ludentem prouocet
propter hoc notantur. C. de usu alee
l. ludus. Noni sunt qui se furibus
associant et furum ipsorum principes
fiunt et talis principacio committitur
nouem modis propter nouem species pecc
alieni in quibus homo reus effi
citur criminis alieni et se furi
associat iuxta illud psalmi. Si vide
bas furem currebas cum eo. Primum
autem alienum primo committitur con
senciendo. Et hoc fit quatuor
modis secundum quadruplicem consensum
qui ponitur Extra. de officio delegati
c. i. ubi dicitur facientes et consen
cientes pari pena puniuntur. Primus
est consensus negligencie vel dissimula
cionis ut si aliquis ex officio suo
debet et potest spolium prohibere et
non cauet. Talis dicitur spoliator
non tamen tenetur ad restitucionem
sed debet illum cogere ut restitu
at. Si tamen aliquod emolimentum

pro(per) de tali dissimulacione tunc
tenetur ad restitucionem. Secundus
consensus est consilii et persuasionis
sed tunc distinguo: aut enim predo
vel fur hoc facturus erat sine
consilio et sic minus peccat quam faci-
ens et sic non tenetur ad restitucio-
nem; aut non erat facturus, sic est
par delictum facientis et consen-
cientis. ff. de furtis. Cum servo.
Et talis tenetur ad restitucionem.
Tercius consensus est cooperacio-
nis sic equaliter peccat faciens
et consenciens et equaliter puni-
untur. ff. de furtis. l. vulgaris
ubi dicitur: Si duo vel plures unum
tignum furati sunt quod singuli tol-
lere non potuerunt omnes furti
tenentur in solidum. Sed si unus
potuisset furtum fecisse sine
aliis tunc quilibet tenetur pro
parte illum contingente. Quartus
consensus est auctoritatis et
defensionis ut qui mandat fieri
furtum vel qui factum defendit
et talis plus peccat quam faciens
et tenetur ad restitucionem.
Quinto committitur peccatum alienum
preter capiendo ut qui inde come-
dunt et bibunt vel plus debi-
tis furtum et rapinam recipiunt
scienter. Tales tenentur ad resti-
tucionem pro eis quod habuerunt.
Quid ergo faciet uxor rapto-
ris vel furis potest ne come-
dere de rapina vel furto
quod dicendum quod si maritus

habeat aliquid de iusto de illis
rebus mulier debet separatim expendere
et victum sumere. Si vero nichil habeat
nisi de rapina vel si sit aliquid de iusto
hoc tamen ita permixtum est quod discerni non
potest. Tunc mulier secundum doctores non debet
de rapina vel furto comedere sed
aliunde sibi victum querere vel a con-
sanguineis et amicis vel labore
manuum vel eciam querendo elemosinas hostia-
tim ut dicit Hostiensis. Si autem maritus
sit ita malus quod omnino cogat eam
vivere de rebus raptis nec possit
sibi aliunde victum conquirere tunc
ne fame moriatur restat ei triplex
remedium. Unum quod vivat de dote et
sponsalicio. Nam ut dicit Glosa in hoc
casu recuperare potest dotem constante
matrimonio. Secundum remedium est ut
denunciet episcopo qui potest compellere
maritum ut pascat uxorem de iusto
ij. q. i. Si peccaverit. Vel committat
eam persone alicui honeste que de
honesto lucro sibi provideat. Extra de
pignoribus. Ex litteris. et de dote post di-
vorcium restituenda. Per vestras. Tercium
auxilium est si tam in arto posita quod
de nullo alio possit sibi victum invenire
tunc posset vivere de rapina quia
necessitas legem non habet. Et quicquid sic
expenderit dolenter sumat et vivat
quam parcius potest ad sublevandam
solam necessitatem et proponat firmiter
restituere quam cicius poterit quicquid
inde consumpserit. Semper tamen uxor
tenetur viro debitum reddere in cunctis
supradictis et econverso. Est tamen sciendum quod
quamvis uxor de pane vel bona
vel alia re rapta in spe comedere

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Baden-Württemberg

non possit exire casu ultime necessitatis
Si tamen res sit empta de re rapta poterit
inde comedere et sic casu ultime necessitatis
Summe idem est. Qui enim res raptas vendit
dum in scio dato vicium furti vel rapine
purgatur per hoc. Quod amens volun-
tarie dando transtulit dominium illius
rei vel illud precium licite potest quilibet
ab eo recipere nec tenetur restituere
Quidam tamen magni doctores dicunt quod
uxor licite potest uti illis rebus sic per
miseris dummodo tamen in mente habeat quod
libenter vellet vivere de licite adqui-
sitis. Sexto committitur peccatum alienum
tacendo ut qui solo verbo posset prohi-
bere furtum vel posset defendere ne
alii rapiant vel ne clericum percuterent
et tales non solum tenentur ad restitucio-
nem sed etiam sunt excommunicati. Sed hoc bene
intelligitur de illis qui ex officio talia te-
nentur defendere aliter non vel etiam de illo
qui tacet in synodo vel civili iudicio
ubi talia forefacta debent merito pu-
blicari. Septimo committitur peccatum alienum
adulando vel detrahendo ut si quis
dicat alicui potenti quod rapere sit stren-
nuitatis vel dicat illum dignum esse spo-
liacione. Talis enim adulator vel detra-
ctor tenetur ad restitucionem si ille alias
non fuisset facturus spolium ut patet
q. iii. Nemo. Sed sciendum quod triplex
est adulacio. Prima est attribuendo
alicui bonum quod habet. Secunda est exa-
more nimis extollendo bonum quod
habet et utrumque est peccatum veniale.
Tercia est approbando malum quod facit
et hoc est peccatum mortale ut patet
xlvi d. Sunt non nulli. Octavo com-
mittitur peccatum alienum hospicio colli-
gendo et occultando qui enim fures

non indicant domino ipsum querenti par-
ticipes furti sunt. Extra de furtis. Sed
hoc intelligendum est de illo qui ideo
furem non vult prodere ut particeps fur-
ti fiat. Nono committitur peccatum
alienum emendo ut qui emit rapi-
nam vel furtum. Sed ibi distinguere
oportet. Nam ille qui emit rapinam
vel furtum aut intendit gerere
negocium alterius cui res est ablata
et sic potest repetere precium quod de-
dit et expensas quas circa illam
rem facit. ff. De rei vendicatione. Domum
Aut intendit gerere negocium
proprium puta quia emit ut ~~[illegible]~~
retineat. Aut ergo emit fide
mala aut fide bona. Si fide mala
puta si scivit vel probabiliter
credidit esse furtivum tunc [illegible] emptor iii
gravatur sex modis. Primo quia
semper tenetur rem reddere et si tamen
animal moriatur vel violenter
auferatur. Instit. de usu. cap.
Unde inrebus. Semper enim fur tenetur
de casu fortuito nisi in uno casu
puta si rem obtulisset domino tempore
et loco congruo et ille ~~[illegible]~~
noluisset recipere et tunc ~~[illegible]~~
purgasset moram. ff. ~~[illegible]~~
De condicione facienda
in re furtiva. Secundo quia
tenetur reddere omnes
fructus perceptos et qui
medio tempore percipi potuissent.
Tercio quia res estimanda est
et secundum optimum eius statum
puta si res tempore vendicionis
fuisset melior quam postea. ff.
De furtis. De re furtiva. Quarto
quia non potest repetere precium quod dedit

Quinto quod non potest agere contra venditorem de precio soluto obstat enim sibi turpitudo sua nisi de hoc expresse sibi caverit ff. q. v. hoc
in .c. Sexto quod potest pro expensis voluntariis .C. de rei vendicatione [illegible] exigi Si autem emit bona fide puta si probabiliter credidit rem esse
iustam Sic bona fides quatuor sibi confert primo quod non tenetur rem restituere durante bona consciencia sed si sciverit postea rem esse furtivam tenetur eam restituere et eciam fructus extantes Sed fructus consumptos restituere non tenetur Secundo quod potest rem alienare et vendere durante bona fide Sed si aliquid lucratus est ex huiusmodi vendicione statim consequitur illud debet restituere domino postea venienti ff. de condicione indebiti hoc natura Tercio quod rem non tenetur restituere in casu fortuito durante bona fide Si enim res in casu perierit absque culpa sua in nullo tenetur domino respondere Quarto quod post restitucionem rei potest agere contra venditorem de precio quod dedit dummodo rem restituerit per iudicium Verum cautum est in talibus quod emptor dicat domino rei quod ipsum trahat ad iudicium Et postquam emptor victus fuerit denunciet venditori quod veniat et deffendat rem venditam et si res tunc ab eo evincitur venditor tenetur de evictione nisi emptor fuisset absens per contumaciam tempore sentencie dande vel nisi primum

iam iudicis sententia lata fuisset ff. de empcione et vendicione Si autem extra iudicium restituat tunc venditor nichilominus tenetur sibi restituere precium in foro penitenciali licet per iudicium fori ad hoc cogi non possit Sed hoc verum est cum raptor rem abstulit in iuste puta in bello quod sciebat esse iniustum Sed si scit bellum iustum fuisse tunc non tenetur restituere rem emptam Si autem probabiliter credit iustum bellum fuisse puta quod vicini vel eciam sapientes hoc dicunt tunc similiter bona fides sibi confert quatuor supradicta Sed si postea sciverit bellum iniustum fuisse tunc debet restituere rem et fructus extantes non autem consumptos Est autem valde nota regula notanda in omnibus supradictis nove preceptis Nam quicumque fuit causa tocius spolii vel alterius dampni talis tenetur in solidum aliis non tenetur nisi de parte percepta Sed si res illi vendita fuit tunc non tantum tenetur solvere precium pro re ipsa datum sed debet solvere iustum precium rei unus tamen totum solvente omnes socii liberantur et si quilibet fuisset in solidum obligatus et ille cui facta est solucio debet cedere accioni ei qui solvit ff. de [illegible] Si plures Ex predictis patet qualiter sit confitendum de transgressione illius septimi precepti

Octauum preceptum intende diligenter et perfice viriliter ne alius accipiat coronam tuam quia perseverantibus [illegible] dabitur corona